

subiecto ¹ ». Atqui illud, quo rei essentia non destruitur, intrinsicus non repugnat. Ergo intrinsicus non repugnat accidens absolutum actu existere seorsum a substantia, a qua naturaliter pendet ².

149. Obiic. Si accidentia existerent sine subiecto, re ipsa existerent per se, unde essent verae substantiae. Atqui repugnat accidens existere per se. Ergo accidens ne virtute quidem Divina seiunctum a subiecto existere potest.

150. Resp., *Neg. mai., conc. min., neg. cons.* Et sane accidentia, quamdiu seiuncta a subiecto existunt, *sustentantur* a Deo, ita tamen, ut eo, quo diximus, modo ordinem servant ad substantiam. Quocirca, cum sustententur a Deo, non subsistunt per se, quod est proprium substantiae, et cum ordinem servant ad subiectum, naturam accidentium non amittunt ³. Quin autem accidentia possint a Deo sustentari, dubitandum non est; nam, ut optime s. Thomas observat, sicut Deus potest effectus causarum naturalium producere sine naturalibus causis, sic potest *tenere in esse* accidentia, *subtracta substantia, per quam conservabantur in esse* ⁴.

¹ *In lib. IV Sent., Dist. XII, part. I, a. 1, q. I ad arg.*

² Quod si aliqua accidentia sint, quae sine suis subiectis actu esse haud concipi possunt, huius ratio non ex eo, quod sunt accidentia, sed ex eo, quod talia accidentia sunt, desumenda est. E.g., intellectio humana non nisi in intellectu humano esse potest, non prout accidens est, sed prout actio humana est.

³ « Comparatio, inquit idem Seraphicus Doctor, accidentis ad subiectum secundum aptitudinem est essentialis, et haec numquam privatur ab accidente »; *Op. et loc. cit. in resol.*

⁴ III, q. LXXVII, a. 1 c. et ad 2. Hac de accidentibus absolutis theoria Scholastici facile explicant, quomodo in venerabili Eucharistiae Sacramento, peracta consecratione, species panis, et vini permanere non repugnet (Cf s. Thom., *Quodlib. IX, a. 5 c.*, et s. Bonav. *In lib. IV Sent., loc. cit.*). Nonnulli recentes Theologi, cum doceant omnia accidentia esse modos, ac proinde fieri non posse, ut accidentia a substantia unquam separentur, contendunt accidentia in illo Sacramento non remanere, sed eorum sensationes a Deo in nobis excitari; Deus enim afficit organa sensoria eodem prorsus modo, quo a pane, et vino naturaliter affici solent. Litem istam dirimere nostrum non est. Dumtaxat his recentibus in memoriam revocamus receptam a tota Ecclesia doctrinam Catechismi Romani, Tridentinae Synodi interpretis, quae haec est: « Quoniam ea accidentia Christi Corpori, et Sanguini inhaerere non possunt, relinquuntur

CAPVT VIII.

De secunda, tertja, et quarta categoria

151. « Omnis res, ut s. Thomas ait, est vel substantia, vel accidens ¹ »; quocirca si prima categoria est substantia, reliquae novem categoriae accidentia sint oportet. Ea, quae ad *quantitatem, relationem, et qualitatem* spectant, unico capite complectemur, quippe quod, cum de iis iam in *Logica* disputatum nobis sit, non nisi pauca, quae ad earum notiones *ontologice* consideratas maxime pertinent, modo adiiciamus necesse est.

ART. I. De quantitate

152. Circa quantitatem in primis illud, quod in *Logica* innuimus, uberius explicandum nobis est; nempe quantitatem positam esse in divisibilitate, seu in eo, quod in partes eiusdem naturae dividi potest.

Prop. *Essentia quantitatis non in extensione partium in ordine ad se, seu interna, neque in extensione partium in ordine ad locum, seu externa* ², *sed in divisibilitate posita est.*

*Probat*ur ¹ pars contra Goudinum ³, aliosque paucos. In aliquo uno, prout est *quantum*, plura intelligere non possumus, nisi ipsum capax divisionis iam antea intelligatur; unde s. Thomas ait: « Divisio causat multitudinem ⁴ »; quapropter multitudo partium non tanquam primum, ex quo cetera in quantitate exurgunt, intelligitur. Atqui illud, quod non intelligitur tanquam primum, et tanquam radix, ex qua cetera exurgunt, quae in re sunt, essentia ipsius rei non est. Ergo essentia quantitatis in extensione partium ad se comparatarum posita esse non potest.

ut supra omnem naturae ordinem ipsa se, nulla alia re nisa, sustentent. Haec perpetua, et constans fuit Ecclesiae doctrina »; Pars II, c. 4, n. 44.

¹ *Qq. disp., De Pot., q. VIII, a. 2 c.*

² Extensio partium, si priori significatione accipiatur, ea est, qua partes ita inter se comparantur, ut una extra aliam sit in ordine ad se, e.g., caput extra collum, et collum extra humeros, quin aliquid de loco concipiatur, in quo extendi possunt. Sin posteriori significatione, est ea, qua partes ita inter se comparantur, ut una sit extra aliam in ordine ad locum, e.g., si caput sit suprema loci pars, pectus media, pedes infima.

³ *Philos. iuxta inconcussa D. Thomae dogmata; Log. mai., part. I, q. III, art. 1.* — ⁴ *Qq. disp., De Pot., q. IX, a. 7 c.*

153. *Probatur* 2^a pars contra Cartesium ¹, eiusque sectatores. Extensio partium quantitatis ad locum est aliquid, quod essentiae quantitatis iam constitutae advenire intelligitur. Ergo essentia quantitatis in extensione partium in ordine ad locum ponenda non est. *Antecedens* probatur ex eo, quod partes quantitatis ad partes loci extenduntur, quatenus meliuntur partes loci, ita ut pars quantitatis sit in parte loci, et totum quantum in toto loco ²; id quod intelligi non potest, nisi iam quantitas cum suis dimensionibus intelligatur.

154. *Probatur* 3^a pars. Cunctae proprietates quantitatis, omnibus concedentibus, in extensione partium, sive prout ad se, sive prout ad locum referuntur, fundamentum habent. Atqui extensio partium multitudinem ipsarum subintelligit, multitudo autem partium nec esse, nec intelligi potest sine divisione. Ergo divisibilitas est prima radix omnium proprietatum quantitatis. Atqui illud, quod est prima radix omnium, quae in re sunt, essentiam rei constituit. Ergo essentia quantitatis in divisibilitate ponenda est.

155. Notione quantitatis iam perspecta, ad inquirendum progrediamur, utrum quantitas in infinitum augeri possit.

Prop. 1^a. *Quantitatem continuam* ³ *mathematice sumtam infinitam in potentia esse haud repugnat.*

Probatur. Quantitas continua mathematice sumpta est, uti in *Logica* ⁴ diximus, abstracta a qualibet forma sensibili, ita ut in ea non nisi quantitas consideretur. Atqui « ex parte quantitatis continuae non est aliquid, quod repugnet additioni ⁵ »; nihil enim prohibet, quominus successivum augmentum partium sine ullo termino cogitemus: id autem sibi vult quantitatem mathematice sumtam esse infinitam *in potentia*. Ergo quantitatem continuam mathematice sumtam velut infinitam in potentia esse non repugnat.

156. *Prop.* 2^a. *Repugnat quantitatem continuam, prout in rerum natura est, esse infinitam in potentia.*

Probatur. Quiddid in rerum natura est, determinatum esse

¹ *Les principes de la ph. l.*, part. 2, § 9-13.

² *In lib. IV Sent.*, Dist. X, q. I, a. 1 ad 3.

³ Quenam sit quantitas continua, et discreta, explicavimus in *Logica*, part. I, c. I, art. 7, p. 16, vol. I.

⁴ *Loc. cit.*, p. 17, not. 1. — ⁵ III, q. VII, a. 12 ad 1.

habet; ac proinde quantitas continua, prout in rerum natura est, determinatam formam habet. Atqui illud, quod determinatam formam habet, in infinitum augeri non potest. Ergo quantitas continua, prout in rerum natura est, infinita *in potentia* esse nequit ¹.

157. *Prop.* 3^a. *Quantitas discreta infinita in potentia, nunquam vero infinita actu esse potest.*

Probatur 1^a pars. Cuilibet numero aliam, atque aliam unitatem sine ullo termino augeri posse intelligimus. Ergo non repugnat quantitatem discretam esse infinitam *in potentia*.

158. *Probatur* 2^a pars. Si numerus *actu* infinitus esse posset, neque additione unitatis maior, neque subtractione unitatis minor posset fieri; siquidem in illo, quod est *actu* infinitum, neque *magis*, neque *minus* intelligi potest. Atqui quaelibet species numeri per determinatas unitates variatur, et fit maior, vel minor. Ergo numerum *actu* infinitum esse repugnat ².

ART. II. De categoria relationis

159. Relatio, prout categoria est, denotat illum modum essendi, secundum quem substantia ita comparata est, ut ordinem ad aliud habeat. Quapropter *esse* relationis ab *esse* ceterorum accidentium in eo differt, quod illud non solum in substantia, velut in subiecto, inest, sicut cetera accidentia, sed etiam efficit, ut substantia, in qua inest, ad aliud referatur ³.

160. Ex hoc intelligitur non aliam speciem relationis, nisi quae *realis* proprie, et stricte dicitur ⁴, inter categorias numerari; nam in sola relatione reali proprie dicta ambo termini sunt reales, et reale utrinque est fundamentum, per quod unum ad aliud refertur, ac proinde haec sola relatio specialem modum denotat, quo *esse* in rebus determinatur, nempe illum, per quem substantiae ordinem ad aliud habent.

¹ Cf s. Thom., *loc. cit.* — ² *Quodlib.* IX, a. 1 c.

³ *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 8 c. Ex his vides falsos esse Renouvierium (*Essais de critique générale*, part. III, § XXVI), et Rosminium (*Logica*, lib. II, sez. V, c. 9, coroll. § 410), qui relatione omnes modos, quibus praedicatum ad subiectum refertur, communiter denotari opinantur. Nam relatio, ut diximus, illum dumtaxat specialem modum significat, quo aliquid alii ita inest, ut ipsum ad aliud ordinet.

⁴ Cf *Logica*, part. I, c. I, art. 8, p. 17, vol. I.

161. Quae cum ita se habeant, in primis demonstrandum nobis est admittendas esse relationes reales; deinde explicandum est, quaeenam sint eius variae species.

Prop. *Relationes reales admittendae sunt* ¹.

Probatur. Si termini, inter quos ordo intercedit, sunt res, quae in natura existunt, et principium, ex quo ordo inter illos terminos enascitur, est utrinque aliquid reale, realem quoque esse oportet relationem, quia relatio nequit esse alterius naturae, quam principia, quae ipsam efficiunt. Atqui indubium est ¹ inter res, quae in natura sunt, quemdam ordinem intercedere, siquidem perfectio rerum, quae in natura sunt, gignitur non solum ex eo, quod ipsis singulis absolute convenit, sed etiam ex ordine, quem ad se invicem habent; ² principia, ex quibus ille ordo efficitur, esse realia, quippe quod ordo in naturis rerum fundatur. Relationes reales igitur re ipsa dari certum est.

162. Iam tres relationis realis species existunt. Prima est, qua unum ad aliud refertur propter aliquam proprietatem essentialem, nempe, qua unum ad aliud eiusmodi ordinem habet, ut cum eo aliquod genus, vel speciem constituat. Hoc modo materia ad formam refertur; haec enim materia, e. g., est corpus humanum, non vero belluinum, quia refertur ad animam humanam, non vero belluinam. Altera est, qua duo ad se invicem referuntur propter aliquam proprietatem accidentalem, ita ut id, per quod unum habet ordinem ad aliud, sit extra essentiam eius. Hoc pacto duo parietes albi ob similitudinem albedinis, quae eorum accidens est, ad se invicem referuntur. Tertia ex principio causalitatis enascitur, nempe ex eo, quod unum ad aliud, tamquam causa ad effectum, vel tamquam effectus ad causam, ordinem habet ².

ART. III. De categoria qualitatis

163. Quid sit qualitas, et quaeenam eius species, iam in Logi-

¹ Hanc veritatem statuere magni momenti est. Etenim, si relationes reales negarentur, non liceret nobis cognoscere ordinem, quo res inter se continentur, ac proinde illarum scientiam assequi. Hinc omnes veteres, et recentes Sceptici in eo toti fuere, ut vim obiectivam relationis impugnant; pervidebant enim, hac sublata, omnem scientiam una tolli.

² Cf s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, a. 1, q. 3 resol.

ca ¹ exposuimus. Hic tantum inquirendum est, utrum, necne *qualitas* sit specialis categoria.

Dubium ex eo enascitur, quod tum differentia specifica, tum accidentia, quae determinant essentiam rei a differentia specifica constitutam, tamquam *qualitates* intelliguntur. At vero, ut in *Logica* iam adnotavimus, differentia specifica, quippe quae determinat genus ad speciem, e. g., animal ad hominem, constituit substantiam, proindeque confundenda non est cum qualitate, de qua hic agimus, siquidem haec, ut diximus, est quoddam accidens substantiae iam constitutae additum. Itaque illud dumtaxat inquirendum est, utrum inter accidentia sit aliquis modus qualitatis, qui specialem categoriam constituat.

164. Prop. *Existit aliquis modus qualitatis, qui specialis categoria est.*

Probatur. Quaedam accidentia substantiam *qualem* efficiunt eo modo, qui nec quantitati, nec relationi, nec ulli alii sex categoriarum convenire potest. Atqui accidentia significantia modum entis, qui ad nullum alium modum reduci potest, ad specialem categoriam referenda sunt. Ergo aliquem modum qualitatis esse specialem categoriam pro certo habendum est.

165. *Maioris* veritas constat ex iis, quae in *Logica* innuimus. Et sane, quantitas, relatio, et alia accidentia non *immediate*, sed *consequenter* qualificant subiectum; siquidem in iis qualificatio substantiae consequitur modum entis, quem in illam inducunt ². At e contrario, sunt quaedam accidentia, quae *per se*, hoc est, quin alium modum entis includant, *simpliciter quale* efficiunt. E. g., scientia, virtus, albedo, rectitudo, curvitas, aliaque huiusmodi accidentia subiectum scientia, aut virtute praeditum, album, rectum, aut curvum, aut aliis id genus modis *quale* simpliciter efficiunt.

CAPVT IX.

De actione, et passione

ART. I. Explicatur modus, quo actio, et passio inter categorias recensentur

166. *Actio* denotat illud, per quod aliquid ab aliquo originem habet. Id, quod ex alio producitur, *effectus*; id, a quo effectus

¹ Part. I, c. I, art. 9, p. 19-20, vol. I. — ² Loc. cit.